

CAPUT VII.

De Jurejurando.

SUMMARI A.

1. & 2. Juramentum promissorium producit obligationem justitiæ. 3. Adversariorum argumentum proponitur. 4. & seqq. Enervatur. 7. Nova illorum instantia. 8. & 9. Retunditur. 10. & seq. Nostra distinctio in ea questione, an juramentum confirmet actum de Jure invalidum? à quibusdam lacesitur. 12. & seqq. Roboratur. 15. Novus assensus tentatur. 16. & seqq. Infringitur. 21. Ultimus conatus adhibetur. 22. Reprimitur. 23. Repetitur nostra sententia de rescissione

juramenti; cum distinctione inter perjurium materiale & formale. 24. Explicatur textus in l. 31. ff. h. t. & l. 1. Cod. de R. C. 25. & seqq. Explanatur textus in l. 21. ff. de Dolo. 30. & seq. Juramentum judiciale nequit deferri, quando nihil probatum est, aut nulla presumpcio suffragatur. 32. & seq. Eaque presumpcio non debet esse nimium generalis. 34. Licet arbitrio Judicis res videatur relinquenda. 35. & seq. Duo casus referuntur, in quibus juramentum judiciale recusari potest.

QUÆSTIO I.

An juramentum promissorium producat obligationem justitiæ?

1. Nunquam antehac dubitaveram de veritate opinionis affirmantis, asserta in hoc cap. n. 33. si probè & genuinè intelligatur. Quod si enim promittas v. g. Berthæ sponsalia, & quod eam ducere velis in sponsam, sub jurejurando te obstringas, utique teneris ad eam ducendam, non tantum ex virtute Religionis, ne DEUM in testem falsitatis adduxisse convincaris; sed etiam ex virtute justitiæ, quæ petit, ut, quæ promissa sunt, opere compleantur. Jam verò juramentum promissorium continet promissionem, mox declaratam: adeoque non tantum religionis, sed & justitiæ obligationem producit.

2. Verum, ut modò exerior, non omnes capiunt verbum hoc. Dicunt enim, juramentum ex se non producere obligationem aliam, quam religionis: non enim intercedit inter hominem & hominem, sed inter hominem & DEUM; indeque hominem obstringit, ut suæ assertioni fidem & veritatem conciliet: & consequenter, si promissioni sponsalium adjiciatur, reddit hunc sensum: promitto, quod te velim ducere in sponsam, simulque DEUM in testem voco, quod fidem datam sim liberaturus.

3. Dico & ego, ex juramento secundum se non oriri obligationem aliam, quam religionis; verumtamen, si juramento jungatur promissio de aliquo dando vel faciendo, simul asserto, quod simile juramentum, quod promissorium appellamus, simul cum obligatione justitiæ sit conjunctum. Et licet juramentum quò tale intercedat inter DEUM & hominem; attamen, quò promissorium est, habet quoque respectum ad hominem, in cujus gratiam quidpiam juratò promittitur. Nunquid enim in ipsa sponsalium ma-

teria omnium ferè sententia est, ea, utdè jurata, mutuò sponi & sponiæ consensu licetè posse dissolvi? Profectò nulla alia ex ratione, nisi quia juramentum promissorium, sponsalibus appositum, respicit favorem hominis, cui sponsus & sponsa, pro sua quisque parte, renuntiare potest, uti constat ex lib. 4. tr. 1. cap. 5. n. 2.

Reperunt: obligationem justitiæ non tam ex juramento promissorio, quam ex jurata promissione descendere, quatenus juramentum non constituitur per promissionem, seu suam formam, sed pro objecto habet rem promissam, cui ultra vinculum justitiæ superaddit vinculum religionis.

Ego maneo in antiquis terminis, repetòque, obligationem justitiæ descendere ex juramento promissorio, non quòd juramentum ex sua natura constituitur per promissionem, sed quòd in ratione juramenti promissorii necessariò exigat promissionem, quæ, licet ad formam juramenti ut sic non desideretur, desideratur tamen in ratione objecti, juxta quod in hoc cap. num. 9. juramentum distingimus, & si adhibeatur ad dicta vel asserta confirmanda, assertorium; sin promissis firmandis accedat, promissorium nuncupavimus. Et quid, si dicis gratià (ne altercatio fiat de nomine) admittam, obligationem justitiæ oriri ex re jurata, tanquam objecto juramenti promissorii? Utique nihil concedo aut verbis meis, aut effectui, quem intendo, contrarium: volo enim id solum indicare, quòd, si aliquid promittatur interpositò juramentò, duplex sit obligatio, religionis & justitiæ; quòdve obligatio justitiæ transeat ad hæredes juratò promittentis, non item obligatio religionis. Hoc, si etiam contradicentes velint, mihi consentiant, et si aliter loqui videantur.

QUÆ.

QUÆSTIO II.

An juramentum confirmet actum de Jure invalidum?

10. Media sententia, quam elegi in hoc cap. à num. 64. non est ad palatum singulorum. Concedunt equidem, quòd, si jures super contractu quasi de præfenti, quòd v. g. contrahas, alienes &c. contractus de Jure invalidus non convalescat: quia juramentum est purè assertorium, neque ad plus obligat, quàm ad veritatem enuntiationis, ut, quod ore profertur, & inter contrahentes geritur, serià & sincerà mente agatur. At, si jures super contractu quasi de præterito, quòd illud deinceps servare & non revocare velis, putant, non aliam perinde obligationem, quam religionis, enasci, quasi id solum curare teneris, ne nomen Domini voces in vanum, DEUMQUE facias testem falsitatis.

11. Ut verò, quæ d. l. deduxi, appareant magis verosimilia, quero, an non sit nova promissio, quando, contractu jam absolutò, spondes juratò, te contractum non revocaturum? Si nova non sit: cur ergo in contractibus adjiciuntur clausulæ salutares, quòd v. g. non liceat contractum rescindere, revocare, impugnare, aut aliquò Juris remediò uti? Nunquid, si mulier renuntiat Scto Vellejano, & contestatur, quòd, eò non obstante, fidejussionem servare cupiat, novam facit promissionem, diversam à prima?

12. Ergo etiam, si mulier v. g. fundum dotalem alienet, & contestetur juratò, quòd fundum, perperam alienatum, revocare nolit, facit novam promissionem juxta cap. cum contingat 28. h. t. in vers. ne ulterius contraveniant, propriò sacramentò firmandò; & sicut in priori casu ex justitiâ tenetur fidejussioni stare, & à beneficio Scti abstinere; sic etiam in casu posteriori tenetur ex justitiâ stare alienationi, nec potest fundum alienatum revocare.

13. Dices: non esse necessarium, ut vel illa contestatio de non revocando contractu dicatur promissio propriè talis, cum etiam juramentum comminatorium, quòd poena in futurum intentatur, non contineat veram promissionem; vel ut promissio quoque propriè talis inducat obligationem justitiæ, dum, si creditor sub juramento pollicearis usuras, vera est promissio, nec tamen obligationem justitiæ inducit cap. debitores 6. h. t.

14. Resp. esse necessarium, tum ut illa contestatio sit vera promissio, tum ut obligationem inducat justitiæ. Primum ostenditur ex ipsa promissionis natura, quæ duorum in idem placitum consensu perficitur: atqui contestatio de non revocando contractu est

promissio, quæ perficitur duorum in idem placitum consensu, mulieris v. g. alienantis, & illius, in quem res alienatur: adeoque participat naturam veræ promissionis; nec aliquid commune habet cum juramento comminatorio, in quo neutiquam intervenit duorum consensus in idem placitum, dum ille, cui Judex v. g. comminatur juratò poenam, nec consentit, nec etiam, si consentiat, acquirit aliquod jus rigorosum ad poenam sustinendam; estque potius promissio, facta DEO, quam homini, quæ instar voti obligationem justitiæ in gratiam hominum non producit. Alterum pariter declaratur, quòd, si promissio sit vera & valida, non possit non obligare ex justitiâ: operatur enim jus proprietatis, atque creditor, in cujus gratiam aliquid promittitur, tribuit jus activum, & debitori, qui promittit, imponit jus passivum seu obligationem justitiæ. Nihil ad rem faciente textu in cit. cap. debitores 6. h. t. quia illa promissio, quæ debitor creditori promittit usuras, est invalida & à Jure irritata; ideòque in eod. cap. statuitur, debitorem ad solutionem usurarum cogi non posse, solumque juramentum eatenus servandum esse, ut fiat solutio momentanea, nisi à Superiore Ecclesiastico prius relaxatum fuerit juxta cap. si verò 8. d. 1. Jam verò promissio de non revocando contractu nulli est improbata, sed, cum non usum sui juris pro objecto habeat, nemoque teneatur jus sibi competens exercere, valida & solida censetur: ideòque legitimam consequentiã infertur, promissionem illam esse conjunctam cum obligatione justitiæ; sicque à primo ad ultimum ex juramento promissorio non quidem convalidari contractum invalidum in linea & ratione contractus, stringi tamen jurantem in linea & ratione juramenti promissorii ex justitiâ, ne juratam promissionem de non impugnando contractu infringat.

15. Si necdum cedas, & fortè imperceptibile tibi videatur, quomodò id, quod pertinet ex sua natura duntaxat ad lineam religionis, possit effectum alterius lineæ, justitiæ nimirum, generare. Ex superioribus, si ex æquo ponderentur, non tam subtiliter quàm efficaciter te convincere poteris. Siquidem juramentum ex se, seu in genere acceptum, seu ex natura sua generica manet firmum & fixum in linea religionis; consideratum verò in specie tanquam promissorium accedit ad fines lineæ justitiæ, & quem effectum alias generat promissio valida, ob promissionem sibi innexam progignit.

QUÆSTIO III.

An juramentum voluntarium, sive intra sive extra judicium præstitum, possit detecto perjuriò revocari?

33 **C**onceditur à nobis in *hoc cap. num. 115.* & *seqq.* revocatio seu rescissio, quando detegitur perjurium formale; secus, ubi detegitur materiale. Nec puto, quòd textus in *l. admonendi 21. ff. b. t. & l. causa 1. Cod. de R. C.* in quibus simpliciter asseritur, juramentum sub prætextu perjurii retractari non posse, non suffèrant explicationem de perjurio materiali: nam, licèt perjurium materiale non sit propriè & in rigore tale, ut incidat in perjurii pœnas; est tamen ita qualificatum, ut, si quoad dæmnum, quod intra & extra judicium is, contra quem præstatur, consideretur, causam dubitandi fortissimam Legum Conditoribus subministrare potuerit, an non, si ejus subsistentia probetur, rescindi, sicque lucrò, quod inde persensit jurans, privari mereatur? Ergo, dum in *cit. l. decernitur*, juramentum neque perjurii prætextu retractari posse, ratio admodum gravis efficit, ut de perjurio materiali possit intelligi. Nec etiam obstat credo textum in *l. quòd si deferente 21. ff. de Dolo malo*, ubi cum Labeo in jurantem, probatò perjurio, actionem de dolo dandam existimaverit, supponere debuit, perjurium formale fuisse probatum. Siquidem facilè transmittere pos-

sum, quòd Labeo perjurium formale supposuerit, utpote quod dolum formalem in se continet; eaquepropter sententiam meam, quâ ob formale perjurium rescissionem juramenti indulgeo, confirmaverit. Quòd autem Pomponius, eumque secutus Paulus, contra Labeonem senserint, standum esse juramento, quasi res transacta sit; non memorent, ut à Labeonis sententia recedam: quippe cum transactio, in qua Pomponius & Marcellus se fundant, ex communissima opinione rescindi possit, si dulus formalis accesserit; cur non igitur juramentum rescissioni subjaceat, & jurans ex dolo conveniatur, qui reverà per formale perjurium dolum formalem commisit, & ut dicit Justinianus in *l. ult. Cod. de R. C. in fin. ex delicto impium sibi lucrum quaesivit*. Cùmque ex hoc appareat, inter veteres Jctos altercationem intercessisse; atque ex *d. l. ult.* colligatur, quaestionem hanc, apud antiquos pro & contra ventilatam, ab eodem Imperatore ita fuisse decisam, ut pejeranti nullum ex suo delicto lucrum accedat, non immeritò pronuntiamus, Labeonis opinionem alteri, in quam Pomponius & Marcellus inclinabant, hodie prævalere.

QUÆSTIO IV.

An juramentum judiciale deferri possit, tametsi nihil probatum fuerit?

30 **N**ihil frequentius est in foro, quàm ut actor, aliâ probatione destitutus, illicò provocet ad juramentum, eòque suam causam ad exoptatum finem perducere studeat. Sed, quia cum juramentis, quibus Divinum Numen in testem advocatur, non oportet Judicem adèd facilem esse, & juxta Innocentium III. in *cap. etsi Christus 26. b. t. ex frequenti & incauta juratione perjurium saepe contingit, sicut in Ecclesiastico legitur: vir multum jurans replebitur iniquitate, & non discedet à domo ejus plaga*; eapropter in *hoc cap. à n. 138.* tunc demum juramenti delationem censui licitam, quando actor aut probavit aliquid, licèt minùs quàm semiplenè, aut probabiliter quòdam præsumptione munitur. Numverò præsumptio illa sufficiat, quòd, qui de-

fert juramentum, sit persona bonæ notæ & existimationis, ut credi non possit, ab eo quidpiam temerè & injustè ab altero postulari? In ambiguo apud me hæret. Vel enim alter, cui defertur juramentum, est ejusdem aut minoris existimationis. Si illud; Judici non suppetit major ratio, cor unum aut alterum potiori favore dignum reputet. Si hoc; timendum, ne, qui facilis & pronus est ad litigandum & negandum, perinde sit velox & paratus ad jurandum. Multùm profectò ex mente gravium Authorum hac in re Judicis arbitrio deferendum erit, qui juxta diversitatem circumstantiarum poterit eam sententiam amplecti, quam æquitati & libetibus, citiùs & securiùs finiendis, propinquo-rem judicaverit.

QUÆSTIO V.

An juramentum judiciale à parte, cui defertur, recusari possit?

35 **R**egulariter hoc fieri non posse, liquet ex *hoc cap. num. 149.* Ex pluribus exceptionibus, quas exhibet P. Engel ad *b. sit. num. 27. & seqq.* duæ satis receptæ sunt. I.

est, quando causa est ita privilegiata, ut juramentum excludat; quemadmodum, si post emissum chirographum debitor intra biennium exceptionem non numeratæ pecuniæ non

non moverit, postea ne quidem ad juramentum deferendum admittitur *l. in contractibus 14. §. 3. Cod. de N. N. P.* II. si quis juramentum, jam semel delatum, revocaverit,

& id rursus deferre præsumperit: tunc enim, cum Jura similem variationem haud ferant, nulla est obligatio jurandi *l. si quis 11. Cod. de R. C.*

CAPUT VIII.
De Præsumptionibus.

SUMMARIUM.

1. & 2. Datur bifaria Juris præsumptio circa terminum vite humane. 3. & 4. Illustratur casu practico. 5. Contra negantem, se accepisse mutuas pecunias, & de acceptione convictum, stat Juris præsumptio. 6. Pro asse-

rente, se accepisse pecunias debitas, militat eadem præsumptio. 7. & seqq. Huberi sententia refertur, quòd fictio Juris non sit de impossibilibus. 11. Vocatur in dubium.

QUÆSTIO I.

Deturne aliqua Juris præsumptio circa terminum vite humane?

1 **R**esp. dari aliquam Juris præsumptionem, termini maximi & minoris. Maximi termini præsumptio est centum annorum *l. an ususfructus 56. ff. de Usufructu*. ibi: *quia is (centum nempe annorum) finis vite longevi hominis est*. Præsumptio minor est annorum sexaginta per *l. computationi 68. in pr. ff. ad L. Falcid.* ibi: *quod etati ejus ad annum 60. deerit*.
3 Usus hujus præsumptionis non adèd rarus est in successione hæreditaria. Pone, Cajum esse hæredem Sempronii seu testamentarium, seu ab intestato. Discedit ille, quando erat annorum viginti duorum, jamque triginta anni effluxerunt, ut, ubi commoretur, neciatur; sicque dubium sit, num adhuc vivat, num è vita excefferit. Proximi Caji hæredes cupiunt illius hæreditatem capere; qui etiam à Judice immitterentur in bona hæreditaria, præstita tamen, ut moris

est, cautione, eadem bona restituendi, si Cajus redierit vivus; at, cum pauperes sint, cautionem præstare nequeunt; & si bona apud tertium interea deponantur aut sequestrantur, non nisi cum maxima difficultate incertum Caji adventum expectant. Quid ergo? Huberus ad *tit. ff. de Probat. & præsumpt. in num. 19.* in casu simili à sua Curia judicatum refert, amplectendam esse præsumptionem Juris, quæ in *d. l. computationi 68. ff. ad L. Falcid.* vite humane terminum ponit 60. annos; adeoque sententiam hòc modò pronuntiatam, quòd hæredes Caji, qui computatò præsentis & absentis tempore jam erat 52. annorum, adhuc per octennium expectare debeant, eòque transactò, & consequenter annis 60. completis, absens censetur mortuus, & hæreditas spectet ad illius hæredes proximos, interim, tanquam pauperes, de fructibus alendos.

QUÆSTIO II.

Qualis sit Juris præsumptio in solutione indebiti?

5 **I**n *l. cum de indebito 25. in princ. ff. de Probat. & præsumpt.* qualitas & virtus præsumptionis duplici exemplò dilucidatur. Primum est. Repeto à te pecuniam, ut indebitè solutam. Tu negas, te accepisse pecuniam. Convictus es; at jam debitam tibi fuisse, contendis, præsumptio Juris stat contra te, atque onus probandi rem debitam in te rejicit: *perenim absurdum est*, ait Jctus in *d. l. cum*, qui ab initio negavit, se se pecuniam suscepisse, postquam fueris convictus eam accepisse,

probationem non debiti ab adversario exigere. Alterum exemplum est à contrario. Falsus es, te pecuniam accepisse, sed eam tibi fuisse debitam, objicis, præsumptionem tibi favere, & onus probandi indebitam pecuniam incumbere actori, *nemo dubitat*, vox cit. Jcti est: *qui enim solvis, nunquam ita resupinus est, ut facile suas pecunias jactet, & indebitas effundat, & maxime si ipse, qui indebitas eas esse dicit, diligens est & studiosus paterfamilias, cuius personam incredibile est in aliquo facile errasse*.

QUÆSTIO III.

An fictio Juris sit de rebus impossibilibus?

7 **H**uberus ad *cit. sit. ff. de Probat. & præsumpt. num. 22.* censet, fictionem esse

de rebus falsis, at nunquam de rebus impossibilibus, quas Metaphysicis Jcti relinquunt. No.

3 Notabilem usum exempli institutionis hereditariae illustrat. Nam conditio, adjecta heredis institutioni, non facit testatorem interstatum respectu temporis intermedii, quod incertum fuit, utrum exitura esset conditio, vel secus: quia, dum actu existit, retrotrahitur ad tempus aditæ hereditatis, atque jam tum existisse fingitur *l. si pupillus 26. ff. de Condit. institut.* Contra dies heredis institutioni cum effectu non potest adjici *§. hares 9. Instit. de Hered. instit.* quia tunc esset ante diem intestatus, & post diem testatus, quod Juris ratio abhorret *l. Jus nostrum 7. ff.*

de R. J. Cur autem dies non æquè retrotrahatur, quam conditio ad tempus aditæ hereditatis: id discriminis est, quod sit impossibile, ut tempus retrò currat; non verò impossibile, ut conditio, v. g. si navis advenierit, jam fuerit impleta, quando hereditas adiri debuisset. Quæ quidem subtiliter dicta, dubito, an non patiantur obstaculum in obvio exemplo, quod filius una persona esse cum patre fingitur: est enim non falsum duntaxat, sed etiam impossibile, ut paternitas & filiatio in una persona coalescant.

CAPUT IX.

De Fama, & Oculari inspectione.

SUMMARIA.

1. Fama, post litem contestatam suborta, est suspecta. 2. Datur ratio. 3. In causis criminalibus non potest renunciari inspectioni oculari. 4. Bene verò in civilibus. 5. Excipitur inspectio tabularum testamenti.

QUÆSTIO I.

An fama, post litem contestatam primum suborta, probet aliquid?

1 Stryckius in suo tract. de Jure sensuum differtat. 3. cap. 4. num. 17. ejusmodi famam omninò suspectam habet, nisi nova causa, ex qua provenerit fama, post litem contestatam supervenerit. Rationem desumit ex dictis in *d. disp. cap. 3. n. 26. & 27.* ex paritate de testibus, quorum testimonium de auditu quoad ea, quæ post litem contestatam inaudierunt, est nullum *arg. cap. ex quadam 47. de Testib. in verb. & ante litem motam testificata didicerint*: quia facillè contingere potest, ut, quæ post litem contestatam inaudiuntur, proferantur in fraudem, quatenus actor v. g. probationibus non destituatur; imò quia ipsa lis mota potuit famæ causam præbere.

QUÆSTIO II.

An partes Inspectioni oculari possint renunciare?

3 IN criminalibus causis, ubi v. g. inspicendum corpus vulneratum aut occisum in ordine ad pœnam capitalem, renuntiationem non valere, ex communi principio, quod privatorum pacta Juri publico derogare nequeant, deducit Stryck *cit. tract. differt. 1. cap. 1. num. 16.* sicut in *num. 17. & seq.* ex pari & noto principio in causis civilibus, ubi agitur de privato partium commodo, v. g. in causa finium regundorum, infert, quod valeat renuntiatio, dum quilibet juri suo proprio renunciare permittitur; nisi specialiter à Lege prohibeatur inspectionis ocularis renuntiatio, sicut in *l. 6. ff. de Transact. prohibitum videtur, ne fiat renuntiatio de non inspicendis tabulis testamentariis, ex quo Jctus ait: de his controversiis, quæ ex testamento proficiscuntur, neque transigi neque exquiri veritas aliter potest, quam inspectis cognitisque verbis testamenti.* Recapitulentur tamen dicta superius ad *cap. 3. quæst. 2.*

CAPUT X.

De Exceptionibus.

SUMMARIA.

1. & seqq. Dilucidatur, an & qualiter inter se differant exceptio, prescriptio, & præjudicium. 2. Cod. Sentent. resc. non posse. 3. Es concordia doctrina. 4. Convulsatur nobiscum. 5. Indigitatur tempus opponenda exceptionis. 6. Contradicit Huberus. 7. Opponitur ipsi. 8. Es concordia doctrina. 9. Convulsatur nobiscum. 10. Judex potest statuere terminum opponendis exceptionibus. 11. Stylus Camera adducitur.

QUÆ.

QUÆSTIO I.

Utrum Exceptio, prescriptio, & præjudicium sint synonyma?

1 COnjunguntur hæc vocabula in *tit. 1. lib. 44. ff. de Exceptionibus, presumptionibus, & præjudiciis*; nec tamen unam eandemque rem in omni sensu denotant. Quamvis enim *exceptio & prescriptio* nonnunquam pro synonymis accipiantur; attamen in *tit. tit. exceptio* videtur accipi de illa tantum specie, quæ ortum trahit ex solo tempore; extatque de ea in *tit. lib. peculiaris tit. 3. de Diversis temporalibus prescriptio. Præjudicium* quoque non differt quidem ab exceptione, genericè consideratâ, reducitur tamen ad illam speciem, cujus adminiculò actio, quod præpro-

perè fuerit instituta, præjudicium patitur. Sic enim, si quis servitutem suo prædio vindicare intendat, ortò dubiò de prædii dominio, exceptio præjudicialis ipsi opponitur, quòd prædii dominus non sit: & ideò prius dominium probare, quam servitutem vindicare debet *l. fundum 16. ff. d. 1. de Exception.* Idem est, si quis agat familiæ hereditariæ, aut communi dividendo: prius enim de qualitate heredis, aut condominio constare debet, quam ad divisionem provocetur; alioquin exceptione præjudiciali actio submovetur *l. fundi 18. ff. eod.*

QUÆSTIO II.

Quò tempore sint opponenda exceptiones?

5 PEr tot. sect. 2. in hoc cap. jam complanata est hæc controversia; nec quoad exceptiones dilatorias, quæ respiciunt Judicium aut ejus personas, difficultatem patitur: at quoad exceptiones dilatorias, quæ respiciunt merita causæ, uti & peremptorias, contrarius est Huberus ad *tit. ff. n. 1. & 2.* contendens, hæc dilatorias & peremptorias statim ab initio litis contestandas, id est, allegandas esse, postea tamen in qualibet litis parte probari posse per *l. prescriptionem 8. & l. siquidem 9. Cod. d. t. l. emptor 9. Cod. de Prescript. longi temp.* Sed certè quoad peremptorias, quòd non statim initio litis allegari debeant, sed in omni parte Judicii possint opponi, textus manifestus extat in *l. peremptorias 2. Cod. Sentent. rescindi non posse, ubi Imperatores, peremptorias, inquirunt, exceptiones omittas in initio, antequam sententia feratur, opponi posse, perpetuum edictum manifestè declarat.* Et, quia ipsemet Huberus dilatorias, respicientes merita causæ, quoad tempus oppositionis æquiparat peremptoriis; licebit nobis eadem facilitate tempus movendi etiam post litem contestatam usque ad sententiam indulgere. In eo tamen cum *tit. Hubero n. 4.* non inviti convenimus, quòd etiam generalis contestatio ab exordio litis sufficiat, si nempe reus, ad libellum actoris respondendò, eum non aliter se admittere declaret, quam salvis exceptionibus & defensionibus: quippe cum hòc modò sufficienter liti inclusæ videantur.

QUÆSTIO III.

An Judex opponendis exceptionibus certum terminum statuere valeat?

10 DE dilatoriis certum est, quòd possit ex termino opponendas esse, constitutum habetur in *Ordinat. Camer. p. 3. tit. 24. § 2. & tit. 27. § 2. R. J. de Anno 1654. §. es solen 37.* ibi: auch was er (Beklagter) darbey dilatorisch oder peremptorisch einzuwenden haben möchte / alles auf einmal bey Straff der Präclusion einbringen. Lauterb. ad *tit. ff. §. 42.*

CAPUT XI.

De Conclusionem in causa.

HOC Caput non eget aliquò Supplementò, utpote pro sui exigentia factis discussum.